

atq; oblata sibi charitatis subsidia, nulla proorsus mercede, de accepta fideliter colligendi facultas datur, ut tandem coelestes hos Ecclesiae thesauros non ad quatuor sed ad pietatem exerceri omnes uere intelligant.

sessio 6.

(14)

Doctrina de sanctiss. Sacrificio Missae, publicata in Sessione VI. s. Conc. Tridentini sub S. D. N. Pio PP. III die XVII mensis Septemb. 1562

Sacrosancta, Oecumenica, et generalis Tridentina Synodus in Spu sancto legitime congregata praesidentibus in ea eisdem Apost. Legatis: Ut uetus, absoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Eucharistiae mysterio in sancta Catholica Ecclesia fides, atq; doctrina retineatur, et in sua puritate propulsatis erroribus, atq; haeresibus, conseruetur: de ea quatenus uerum, et singulare Sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta, hac, qua sequuntur, docet, declarat et fidelibus populis praedicanda decernit

Caput Primum

Quoniam sub priori testamento (teste Apostolo Paulo) propter Levitici sacerdotij imbecillitatem, consummatio non erat: oportuit (Deo patre misericordiarum ita ordinante) sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech, surgere Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quot quot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, et si semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente Deo Patri oblatus erat, ut aeternam illis redemptionem operaretur

quia tamen per mortem sacerdotum eius extinguendum non  
erat in cena nouissima, qua nocte tradebatur, ut dilecta  
sponsa sua Ecclesia uisibile (sicut hominum natura exigit)  
relinqueret sacrificium, quo eruentum illud semel in cruce  
peragendum, representaretur: eiusque memoria in finem usque  
seculi permaneret, atque illius salutaris uirtus in remissione  
eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum appli-  
caretur: sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in  
aeternum constitutum declarans, Corpus, et Sanguinem suum  
sub speciebus panis et uini Deo Patri obtulit. ac sub earundem  
rerum symbolis Apostolis (quos tunc noui testamenti sacer-  
dotes constituebat) ut sumerent, tradidit: et eisdem, eorumque  
in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecipit, per haec  
uerba Hoc facite in meam commemorationem, uti semper  
Catholica Ecclesia intellexit, et docuit. Nam celebrato ueteri  
Pascha, quod in memoria exitus de Aegypto multitudo filio-  
rum Israel immolabat, nouum instituit Pascha, seipsum ab  
Ecclesia per sacerdotes sub signis uisibilibus immolandum, in  
memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem: quando  
per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de pote-  
state tenebrarum, et in regnum suum transtulit. Et haec quidem  
illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia  
offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malactiam  
nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus in  
omni loco mundam offerendam praedixit; et quam non  
obscure inuuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens,  
cum dicit non posse eos, qui participatione mensae demo-  
niorum polluti sunt) mensae Domini participes fieri,

per

per mensam altaris utrobique intelligens. Haec denique illa est, quae per varias Sacrificiorum Naturae, et Legis tempore, similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia, per illa significata, veluti illorum omnium consummatio, et perfectio complectitur

Caput 2<sup>m</sup>

Et quoniam in Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruenta obtulit.

Docet sancta Synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, et recta fide, cum metu, et reuerentia, contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inueniamus in auxilio opportuno. huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, et donum poenitentiae concedens, crimina, et peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim, eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit. sola offerendi ratione diuersa. Cuius quidem oblationis (cruenta inquam) fructus, per hanc incruentam uberrime percipiuntur. tantum abest, ut illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium uiuorum peccatis, poenis, satisfactionibus, et alijs necessitatibus. sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite iuxta Apostolorum traditionem offertur

Cap. ut

Et quamuis in honorem, et memoriam sanctorum non nullas interdum Missas celebrare consueuerit, non tamen illis Sacrificium offerri docet. sed Deo soli, qui illos coronauit. Unde nec sacerdos dicere solet Offero tibi Sacrificium

27  
Petre, uel Pauli. Sed Deo de illorum uerbis gratias agens  
eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere  
dignentur in coelis. quorum memoriam facimus in terris

Cap. iiii.

Et cum sancta sancte administrari conueniat, sitq; hoc ipsu'  
sanctissimum Sacrificium. Ecclesia Catholica, ut digne, reue-  
renterq; offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis  
ante seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil  
in eo contineatur, quod non maxime pietatem quandam  
redoleat, mentesq; offerentium in Deum erigat. is enim con-  
stat, cum ex ipsis Dni uerbis, tum ex Apostolorum traditio-  
nibus, ac sanctorum quoq; Pont. p[ro]p[ri]is institutionibus.

Cap. v.

Cumq; natura hominum ea sit, ut non facile queat sine admi-  
niculis exterioribus ad rerum Diuinarum meditationem  
sustolle: propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut  
scilicet, quaedam submissa uoce, alia uero elatiore in Missa  
pronuntiantur, instituit: ceremonias item adhibuit,  
ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, uestes,  
aliaq; id genus multa ex Apostolica disciplina, et traditioe  
quo et maiestas tanti Sacrificij commendaretur, et mentes  
fidelium per haec uisibilia religionis ac pietatis signa  
ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent  
contemplationem excitarentur.

Cap. vi.

Optaret quidem sancta Synodus ut in singulis Missis fi-  
deles adstantes non solum spiritali affectu, sed sa-  
cramentali etiam Eucharistiae perceptione comunicaret  
quo ad eos sanctissimi huius Sacrificij fructus uibe-  
rior perueneret. Nec tamen si id non semper fiat propte-

rea

rea Missas illas in quibus solus sacerdos sacramentaliter  
 comunicat, ut privatas, et illicitas damnat, sed probat atq;  
 adeo comendat. Si quidem illae quoq; Missae vere communes  
 censeari debent: partim, quod in eis populus spiritualiter  
 comunicet, partim vero, quod a publico Ecclesiae munifero non  
 pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad Corpus Chri-  
 sti, pertinent, celebrentur

Cap. vii.

Monet deinde sancta Synodus praecipuum esse ab Ecclesia sa-  
 cerdotibus ut aquam uino in Calice offerendo miscerent:  
 tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum et  
 quia e latere eius aqua simul cum sanguine exierit,  
 quod sacramentum hae mystionis recolitur, et cum aqua  
 in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi  
 fidelis cum Capite Christo, unio representatur

Cap. viii.

Ceteri Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem  
 non tamen expedire visum est Patribus, ut uulgari partem  
 lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubiq; cuiusq; Ecc.  
 antiquo, et a s. Rom. Ecclesia, omnium Ecclesiarum ma-  
 tre, et magistra, probato ritu; ne oves Christi esuriant,  
 ne ue paruuli panem petant, et non sit qui frangat eis  
 Mandat sancta Synodus Pastoribus, et singulis curam  
 animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum ce-  
 lebrationem uel per se, uel per alios, ex his quae in Missa  
 leguntur, aliquid exponant, atq; inter caetera sanctum  
 huius Sacrificij mysterium aliquod declarent. diebus  
 praesertim Dominicis, et festis

Caput viii

Quia uero aduersus ueterem hanc in sacrosancto Euangelio  
Apostolorum traditionibus, sanctorumq; Patrum doctrina  
fundatam fidem hoc tempore multi disseminati sunt errores  
multaq; a multis docentur, ac disputantur: Sancta Syno-  
dus post multos, grauesq; his de rebus mature habitas  
tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quae huic  
purissimae fidei, sacraeque doctrinae aduersantur, damnare  
et a sancta Ecclesia eliminare, per subiectos hos Canones  
constituit

Canon Primus. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo uerum, et pro-  
prium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, q̄  
nobis Christum ad manducandum dari. Anathema sit

Can. II. Si quis dixerit illis uerbis Hoc facite in meam comemora-  
tionem, ~~Sacrificij in cruce peracti, non autem propitijs~~ Chri-  
~~stianis~~ non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non or-  
dinasse, ut ipsi, aliq; sacerdotes offerrent Corpus et san-  
guinem suum. Anathema sit

III Si quis dixerit Missa sacrificij tantum esse laudis, et  
gratiarum actionis, aut nudam comemorationem sacri-  
ficij in cruce peracti, non autem propitiatorium, uel soli  
prodesse sumenti, neq; pro uiuis et defunctis, pro peccatis,  
poenis, satisfactionibus, et alijs necessitatibus offerri  
debere. Anath. sit

III Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctiss. Christi sa-  
crificio in cruce peracto, per Missae Sacrificium, aut illi  
per hoc derogari. Anathema sit

V Si quis dixerit imposturam esse Missas celebrari in hono-  
rem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum  
obtinenda, sicut Ecclesia intendit. Anathema sit

VI Si quis dixerit canonem Missae errores continere, ideoq;  
abrogandum esse. Anathema sit

VII Si quis dixerit Ceremonias vestes, et externa signa, qui-  
bus in Missarum celebratione Ecclesia<sup>Cath.</sup> utitur, irrita  
vula impietatis esse magis, q<sup>3</sup> officia pietatis Anath. sit

VIII Si quis dixerit Missas, in quibus solus sacerdos sacra-  
mentaliter comunicat, illicitas esse, ideoq; abrogandas  
Anathema sit.

IX Si quis dixerit Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa  
voce pars Canonis, et verba Consecrationis proferuntur  
damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam  
celebrari debere, aut aquam non miscendam esse uino  
in Calice offerendo, eiq; sit contra Christi institutione  
Anathema sit

Ad quos Canones respondit R<sup>mus</sup> Archiep<sup>s</sup> Granatae  
Anathema illud secundum non placet, in quantum de-  
tinuit Christum creasse Apostolos sacerdotes in coena per  
illa verba Hoc facite in meam comemorationem. tum  
quod extra proprium eius locum (qui est in materia  
de Sacramento Pedinis, et sacerdotio, pro sequenti pro-  
xima Sessione indicis) definitur. tum etiam quia dif-  
ficultas haec non est discussa et disputata per Theologos

nec auditi sunt Patres, qui illam tractare, et sententias  
Prætorum Doctorum (quorum multi oppositum non ob-  
scure sentiant, inter se conferre, atque examinare  
uoluerunt. Et potissimum, quia per <sup>illud</sup> multi Patres antiqui  
et grauissimi absq[ue] necessitate damnantur. Non item  
placeat definiti Christum in cæna se obrulisse, cum sancti  
Doctores asseuerent illum semel hoc fecisse

(15)

Decretum de obseruandis, uel euitandis in celebratione  
Missæ promulgatum in eadem Sessione. vi. die. 17. Sept. 20

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificiū  
omni religionis cultu, ac ueneratione celebretur, quibus facile  
existimare poterit, qui cogitaret maledictum in sacris liti-  
ris eum uocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si  
necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum, ac  
Diuinum a Christianis tractari posse, q̄ hoc ipsum  
tremendum mysterium, quo uiuifica illa hostia, qua Deo  
Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quoti-  
die immolatur. Satis etiam apparet, omnem operam, et  
diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri  
potest interiori cordis munditia, et puritate, atq[ue] exteriori  
deuotionis ac pietatis specie, peragatur. Cum igitur mul-  
ta iam, siue temporum uitio, siue hominum incuria, et im-  
probitate irrepisse uideantur, quæ a tanti Sacrificii  
dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor, et cultus ad  
Dei gloriam, et fidelis populi adificationem, restituatur.  
Decernit sancta Synodus, ut Ordinarij locorum Episcopi  
ea omnia